



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XII. Idem confirmatur naturali ratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

cap. 121. Quacunq, inquit, mandat Deus, ex quibus vnum est; Non mæchaberis; & quacunq, non iubentur, sed specialis cõsilio monentur, ex quibus vnum est; Bonum est homini mulierẽ non tangere, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deũ, & proximũ, & in hoc seculo, & in futuro. Ex his apparet, quanto mendacio Calvinus dicat lib. 4. Instit. c. 13. §. 12. nulli veterũ venisse in mentem, quòd Christus aliquid cõsuluerit.

## CAPVT XII.

*Idem confirmatur naturali ratione.*

**V** L T I M O probatur ratione desumpta tũ ex corporibus naturalibus, tum ex politicis Rebus publicis; Videmus enim in qualibet re naturali, duplicem esse perfectionem: vnã necessariã ad esse, alterã ad bene esse: vnã, sine qua rei natura non est perfecta, alterã, sine qua non est ornata; homo si habeat animã & corpus, perfectus est, quoad naturam attinet, etiam si alioqui deformis, & imperitus, atque improbus sit. At cum est elegans, politus, formosus, doctus, probus, aliam quandã habet perfectionem; ergo eodem modo homo Christianus duplicẽ habere debet perfectionem: vnã necessariã ad esse, id est, per quam sit verè Filius Dei, & hæres regni, quæ consistit in præceptorum obseruatione; alioqui enim non esset Christus bonus legislator, si legem tulisset, quæ non perficeret hominem Christianum: alterã necessariã ad bene esse, quæ consistit in consiliis.

Videmus item in omnibus bene institutis Rebus publicis præter præmia, & pœnas constitutas seruantibus, aut transgredientibus leges, esse etiam præmia quædam decreta heroicis operibus; hinc apud Romanos præter stipendia debita militibus, non violantibus militiæ disciplinã, fuisse etiam coronas ciuicas, ouationes, supplicationes, ac triumphos decretos factis heroicis, vt omnes nouerunt; ita ergo non abhorret à ratione, immò potiùs cõformè est rationi, vt præter vitam æternã promissã obseruatoribus legis diuinæ, sint etiam certa præmia, & singulares honores pro iis, qui non solum Dei legem seruant, sed etiam virtutes heroicã ostendunt.

QQ 9 3

CAPVT